

1755

C O D I C E S A

1756

nita sunt *Capitula de correptione spiritualis ordinis*. Anno (14)40. postquam duae lineae erasae suspicionem movere possent, oborta jam de Autore Opusculi lite nomen *Thomae a Kempis* inde sublatum fuisse.

*Fol. 164.* praemisso Caput *XXXVIII.* Indiculo *Incipit Opusculum fratris dauid.* Nempe *Formula prior Novitiorum* pii hujus e *Franciscana* Familia Viri *Teutonici Augustani*, de quo jam alias in hisce Commentariis dixi. Ejus initium est: *Desiderasti amice karissime, ut aliquid scriberem tibi* &c. ut in *Bibl. PP. Lugd. T. XXV.* ubi p. 869. longe uberior extat haec *Formula*, quam quidam tanti fecerunt, ut *Bonaventurae* tribuerent. Additur ibidem, *Amicum illum Bertholdum* fuisse clari pariter inter suos nominis.

A *fol. 206.* alia quaedam Documenta brevia ascetica sequuntur.

DCCXXX.

R. 3353 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 104. 12. probe scriptus, et priore quidem parte luculentius, rubroque distinctus eandem primum *Regulam* exhibet, quam dein etiam, sed absque omni Titulo *Formula Novitiorum F. Davidis de Augusta* comitatur *Exemplo* superiore nihilo plenior.

DCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3323 XIV. Folior. 54. 4. caractere luculento crasso bene perscriptus et minio distinctus Ordinationes et Reformationes pro bono Regimine Monachorum nigrorum Ordinis S. *Benedicti* continet, quae ἀνεπιγχαφως incipiunt: *Benedictus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Summi magistri dignatio nos quamquam immeritos* &c. Est is *Benedictus XII.* P. M. dictus ante *Jacobus Fornerius*, qui *Avenione* sedit ab a. 1334. ad a. 1342. et haec Statuta dedit, ut in calce legitur: *XII. kal. Julij Pontificatus nostri anno secundo* (id est, 20. Jun. 1336.) Additur in Codice Cccccc. Lij. quod non extrico, nisi fortasse Miniator descriptionis annum 1352. exprimere voluerit. Extant illa *Bullarii Cocqueliniani T. III. P. 2. Romae 1741.* p. 214. f. divisa in XXXIX. Capita. Totidem censent in Codice, transpositis tamen C. 30. et 31. Rubricis quandoque variantibus, quandoque omissis. Ad Rubr. C. 19. *Ne mulieres habitent in locis monachorum*, *Exclamatio* in margine: *Quod absit!*

DCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3337 XII. Folior. 99. 4. luculente et pereleganter, atque, ut vult *Scheda* inserta, per *Luitholdum* monachum *Lunaelacensem* celebrem

καλ-